



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1670**

45. Mathem. Regis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10757**

nisi quod poterat circumuolui; ut etiam tertium quod verticales circulos erectum referebat: gradus illorum notabant globuli ut possent tactu numerari; sua lingua Sinensi, singulis epigraphes inerant in quibus partis cuiusque explicatio caractere patrio legebatur, cum nominibus syderum octo & viginti, quæ in Zodiaco nostris duodecim respondent. Videbantur autem astronomica hæc arma fusa sub gradu & elaborata sexto tricesimo, atque inde Nanchinum ab iis translata qui essent eorum planè rudes. Vidi & Pechini his aded gemina, ut manus eiusdem possit labor censer, peregrini fortassis astrologi; quod fabricata sint cum Sinis Tartari potirentur, hæc de mathematicis organis Riccius, quæ vtraque in aula, ostentatio vna, & curiositas asseruat, nullo præterea illorum vsu vel pretio, vtilior multo Ceucuni Regula qui fuit Sinarum] Ptolemeus annis mille ducentis eo antiquior. Vixit is Tenfum in Prouincia Honana, quam idcirco Sinenses mundi iactitant umbilicum, quod ab extremis Sinarum finibus distet æqualiter, extra quos vix esse somniabant quod mundi nomine dignarentur. Monstratur illic hodieque turris, cuius in specula Ceucunum fama est noctes duxisse peruigiles, seruandis syderum motibus, ortu, & figura. Extat erecta ad perpendicularum Regula supra laminam ex ære amplam, Horizonti peritè coæquatam, certisque tum hæc, tum Regula mensuris consignantur, quæ sunt nunc etiam Mathematicis Sinarum commodæ, habent Sinæ duo istorum Collegia Pechini vnum, Nanchini alterum Astronomicis vtrobique egregiè organis instructi; noctes è turribus perpetuas vigiliant, & cælum mutatis vicibus obseruant, eequid nouæ flammæ, inuisi syderis, inusitati luminis, signive alterius appareat, ut hoc ad Regem mox perferant, quidve id portendat inter se statuunt. Horum item è calculo defectiones cælestium luminum expectantur, quo nullum est vniuerso regno negotium grauius. De hoc ab aula cursores in Prouincias mittuntur, qui Magistratibus vrbium, diem, horam, adeoque momentum prænuntiant laboraturæ deliquio lunæ; iubeant ab ipsis, & sacrificulis idolorum, absque numero conchas, pelues, tympana & quicquid aliud altiùs sonorum & turbulentius streperum, haberi ad manum expedita, ut conspicati sydus obscuritate iam aliqua morderi omnem exerant instrumentorum illorum cantum, fragores, & strepitus, quoad astro sua redeat claritas; ad exterrendam, inquam, draconis ingluuiem, deuoraturi alioquin, & absorpturi lunam: at quanto id scilicet mundi damno? bardum planè, ac stolidum ignoratæ Astronomiæ timorem! in hominibus alias ingenio præditis, sibi que plurimum de cæli cognitione placentibus, quos adhuc Draconis fabula, & nomen latuerit. Sed hanc illorum ignorationem excuset grauior; nunquam boni viri, planetarum motus aut intelligere ipsi potuerunt, aut annis ab hinc trecentis quinquaginta, voluere ab Arabibus discere, nec habent qui norit, vna sphaera omnes, an pluribus voluantur; excentricorum, & epicyclorum peregrina sunt iis nomina, & quod hinc sequitur, igno-

F

44.  
Astronomi-  
ca Regula  
Ceucuni.

45.  
Mathem.  
Regis.

46.  
Defectioni-  
bus luminum  
quid agant  
Sinæ.